

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Sententia definitiva

Prot. N. 44051/10 CA

N.

Amotionis parochi

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno VIII, die XX septembris MMXII, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Card. Burke, Praefecto et Ponente; Paulo Card. Sardi et Velasio Card. De Paolis atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Stanislao Zvolenský et Philippo Iannone, O.Carm., intervenientibus Cl.mo Carolo Gullo et Cl.ma Alexia Gullo, utpote respective Advocato-Procuratore et Advocata Rev.di Recurrentis, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis, atque primum Rev.do D.no Marco Graulich, S.D.B., Promotore Iustitiae Substituto ac dein Rev. mo D.no Paulo Malecha, Promotore Iustitiae Substituto, in causa, de qua supra, hanc definitivam tulit sententiam.

1. – **Facti species.** – Rev.dus X, die 18 iulii 1957 natus, Dioecesi N incardinatus, ad ordinem sacerdotalem die 4 iunii 1983 promotus est. Postquam munere vicarii paroecialis in variis paroeciis functus erat, die 1 iulii 1989 nominatus est parochus paroeciae Y in loco vulgo dicto Z. Rev.dus autem X, qui iam tamquam vicarius paroecialis semper inveniebat difficultates cum parochis, quos ipse accusabat de deficientiis doctrinalibus et disciplinaribus, necnon cum paroecianis ob suum insolitum modum agendi, tamquam parochus

incipiebat accusationes proferre primum contra Exc.mum D.num V, Episcopum N, et postea contra eius successorem, Exc.mum D.num W, de variis deficientiis pastoralibus in Dioecesi, et insuper pacem inter paroecianos valde disturbabat per suum modum agendi. Ultimatim, die 18 maii 2009, Rev.dus Recurrens coram custodibus ordinis publici quosdam paroecianos incusabat de violentia contra se ipsum, immo de veneficiis, asserens ipsum Exc.mum Episcopum eos forsitan induxisse ad illa crimina perpetranda. Easdem accusationes Rev.dus X litteris die 26 maii 2009 ad Romanum Pontificem datis iteravit.

Quae cum ita essent, Exc.mus D.nus W Rev.dum Recurrentem invitavit ad sese examini psychiatrico subiiciendum, sed frustra. Ita, ad normam can. 1742, § 1, post discussionem cum duobus parochis, de quibus ibidem, die 18 augusti 2009 Exc.mus Praesul scripto Rev.dum X invitavit ad officio parochi renuntiandum ob eius modum agendi qui communionem ecclesiasticam perturbabat necnon ob infirmitatem mentis quae eundem incapacem reddebat munus parochi adimplendi. Rev.dus autem X litteris diei 2 septembris 2009 renuntiationem recusavit, inspectionem actorum petens. Actis inspectis, die 13 octobris 2009, ipse denuo renuntiationem recusavit. Exc.mus Episcopus deinde post alteram discussionem cum duobis parochis de quibus in can. 1742, § 1, die 22 octobris 2009 decretum amotionis tulit.

Quod adversus decretum Rev.dus X die 24 octobris 2009 remonstrationem porrexit, tum revocationem decreti amotionis tum eius executionis suspensionem petens. Exc.mo Episcopo silente, Rev.dus X recursum hierarchicum die 3 novembris 2009 apud Romanum Pontificem interposuit, quem Secretariatus Status ad competentem Congregationem pro Clericis transmisit. Iterum, die 1 decembris 2009, Rev.dus X recursum coram Romano Pontifice exhibuit, quem autem Secretariatus Summi Pontificis tantum die 13 ianuarii 2010 Congregationi pro Clericis intimavit. Interim, die 11 ianuarii 2010, Congregatio pro Clericis recursum diei 3 novembris reiecerat, Rev.dum Recurrentem certiore faciens recursum praepropere, scilicet ante elapsum terminum triginta dierum de quo in can. 1735, interpositum fuisse ideoque Congregationem eum considerare non potuisse. Qua decisione die 26 ianuarii notificata, Rev.dus X diebus 26 ianuarii et 10 martii 2010 frustra remonstrationem apud Congregationem pro Clericis exhibuit.

2. – Die tandem 8 aprilis 2010 ipse recursum apud hoc Supremum Tribunal interposuit.

Ad litteras ab H.S.T. die 2 iunii 2010 de re ad Congregationem pro Clericis datas, haec solummodo die 4 septembris 2010 responsum dedit, declarans se recursum hierarchicum diei 1 decembris 2009 quatenus extra terminum peremptorium interpositum pertractare non potuisse. At, re sedulo examinata, Signatura Apostolica ad ulteriora processit.

Receptis memorialibus Cl.morum Advocatorum partium, praehabito voto Rev.mi Promotoris Iustitiae Substituti, illo tempore Rev.di D.ni Marci Graulich, S.D.B., in Congressu die 27 maii 2011 habito, infrascriptus Em.mus Praefectus H.S.T. recursum ad disceputationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admisit.

Die dein 16 iunii 2011 haec dubia concordata sunt: **1. An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo quatenus Congregatio pro Clericis recursum, utpote extra terminum peremptorium exhibitum, considerandum non esse statuit, et subordinate, quatenus affirmative ad primum: 2. An constet de violatione legis in procedendo vel decernendo, quatenus eadem Congregatio per silentium praesumitur recursum adversus amotionem Rev.di X a munere parochi negative dimisisse.** Acceptis dein voto periti in re psychologica, qui peritiam super actis quoad statum psychicum Rev.di X secundum normas professionales perfecit, atque memorialibus Cl.morum utriusque partis Advocatorum et voto novi Promotoris Iustitiae Substituti, Rev.mi Pauli Malecha, Rev.do D.no Graulich interim in Collegium Praelatorum Auditorum Romanae Rotae promoti, nunc praefatis dubiis respondendum est.

IN IURE ET IN FACTO

Quoad primum dubium

3. – Hoc dubium agit de termino peremptorio servato, annon, ad recursum hierarchicum exhibendum. Qui recursus, ad normam can. 1737, § 2, interponendus erat intra terminum peremptorium quindecim dierum utilium, qui in hoc casu decurrere incipiebat ex trigesimo die silentii ex parte Exc.mi Episcopi (cf. can. 1735).

Rev.dus Recurrens iam die 3 novembris 2009 exhibuit primum recursum hierarchicum, quem dein Congregatio pro Clericis litteris diei 11 ianuarii 2010 recte reiecit, utpote ante terminum triginta dierum elapsum porrectum.

Attamen, Rev.dus X die 1 decembris 2009 apud Romanum Pontificem alterum interposuit recursum, qui autem Congregationi pro Clericis tantummodo die 13 ianuarii 2010 ope Secretariatus Status notificatus est. Congregatio ergo die quo recursum diei 3 novembris 2009 reiecit, nihil scivit de altero recursu. Sed Rev. dus X, post notificationem reiectionis primi recursus, revera binis litteris dierum 26 ianuarii et 10 martii 2010 Congregationi explicavit rationem ob quam recursus hierarchicus diei 1 decembris 2010 intra terminum peremptorium propositus erat. Congregatio vero haudquaquam respondebat. Quae cum ita essent, Rev.dus X die 8 aprilis 2010 recursum penes H.S.T. instituit.

Litteris dein diei 4 septembris 2010 Congregatio pro Clericis opposuit quod Rev.dus X minime demonstravit litteras die 13 ianuarii 2010 apud Congregationem receptas revera die 1 decembris 2009 ad Romanum Pontificem datas fuisse. Sed, contra, litterae a Nuntiatura Apostolica in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis die 7 decembris 2009 datae confirmant illum alterum recursum re vera die 1 decembris 2009 porrectum esse. Etiam litterae Secretariatus Status diei 13 ianuarii 2010 et litterae ipsius Congregationis diei 23 ianuarii 2010 demonstrant recursum die 1 decembris 2009 exhibitum esse ideoque intra terminum peremptorium. Omnibus bene perpensis clarum est quod Congregatio, accuratiore investigatione documentorum haud suscepta, de observatione terminorum relate ad alterum recursum erravit. Congregatio igitur illegitime, seu per violationem legis in procedendo et in decernendo, siluit.

Quoad secundum dubium

4. – Cl.mi Rev.di Recurrentis Advocati in primis contendunt legem in procedendo violatam esse, eo quod nullam mentionem de discussione cum duobus parochis diei 19 octobris 2009 in actis inveniebant. Sed, contra, uti Cl.ma Congregationis Patrona obicit, documentum de praedicta discussione in actis re vera adest.

Cl.mi Rev.di Recurrentis Advocati dein asserunt legem in procedendo etiam violatam esse, quia Exc.mus Episcopus curatorem pro Recurrente non nominavit. Ex actis autem patet non solum cura attenta ius defensionis Recurrentis agnoscendi, verum etiam quod ipse hoc ius exercere poterat et de facto exercuit. Peritia, ceterum, de qua infra, illustrat perturbationem, qua laborat, minime eius capacitatem sese defendendi inficere. Quapropter frustra in casu curatoris constituendi invocatur necessitas.

Minime ergo demonstrata est violatio legis in procedendo in actu amotionis Rev.di X ab officio parochi.

5. – Quoad assertam violationem legis in decernendo, primum animadvertendum est Rev.dum X ab officio parochi amotum esse ob modum agendi qui ecclesiasticae communioni grave detrimentum et perturbationem afferebat (cf. can. 1741, n. 1) necnon ob permanentem mentis infirmitatem, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddebat (cf. *ibid.*, n. 2). Adsunt in actis plurimae litterae a paroecianis scriptae quae demonstrant Rev.di X modum agendi perturbationem in paroecia gignentem. Sufficit autem ut una sola ex illis causis demonstretur ad legitimitatem decreti amotionis confirmandam. Ideo satis est fusius de altera amotionis ratione agere.

Ad recte determinandam quaestionem de statu psychico Rev.di X, H.S.T. votum periti super actis causae exquisivit. Qui Peritus primum tenet acta causae sufficere et credibilia esse ad statum psychicum Rev.di X determinandum. Acta sufficiunt, quia comprehendunt documenta quae demonstrant in modo inequivocabili naturam pathologicam modi ratiocinandi Recurrentis. Acta credibilia sunt, quia agitur de litteris authenticis ipsius Rev.di Recurrentis et de documentis ab institutis civilibus et ecclesiasticis in exercitio sui muneris confecta. Peritus dein, post examen manifestationum concretarum infirmitatis, qua Rev.dus X laborat, et praesentationem accuratam eiusdem naturae, declaravit cum certitudine Rev.dum X perturbatione affectum esse, cuius inter alia est sine ullo fundamento obiectivo multos considerare inimicos et paucos amicos, adeo ut inde de facto divisio et discordia in communitate producat. Rebus sic stantibus, patet agi de permanenti mentis infirmitate, quae eum inidoneum reddit ad obligationes officii parochi rite absolvendas seu

imparem suis muneribus utiliter obeundis.

Haudquaquam ideo demonstrata est violatio quoque legis in decernendo in casu.

6. – **Conclusio.** – Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Em.mi et Exc.mi Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubiis propositis respondendum esse decreverunt atque respondent:

Ad primum dubium, AFFIRMATIVE, seu constare de violatione legis in procedendo et in decernendo ex parte Congregationis pro Clericis.

Ad secundum dubium, NEGATIVE, seu non constare de violatione legis in procedendo et in decernendo, quatenus eadem Congregatio per silentium praesumitur recursum adversus amotionem Rev.di X a munere parochi negative dimisisse.

Pro expensis processualibus cautio in arca H.S.T. deposita retineatur. Rev.dus Recurrens suis Cl.mis Advocatis et pars resistens suae Cl.mae Patronae congruum solvant honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 20 septembris 2012.

(Signati)

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus et Ponens

Paulus Card. SARDI

Velasius Card. DE PAOLIS

✙ Stanislaus ZVOLENSKÝ

✙ Philippus IANNONE, O.Carm.

Et notificetur.

Die 6 decembris 2012

✚ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
Vices Praepositi Cancellariae agens